

wer weiß, ob es auch war sey, das ein Mann auff Erden gewest, der Christus geheissen, und solches alles gethan habe, was man von ihm schreibt? Wie wemms erticht were? Es kost auch Müb und Arbeit, das er wieder zurecht kam. Ich höre er sey zu Coburg Christlich gestorben. Hactenus ALBERVS, qui ipse suo expertus erat exemplo, quam facile studiosi, solida rerum Theologicarum scientia destituti, ad Fanaticorum possint pertrahi partes. Ipse enim plus simplici vice, in libro, paullo ante laudato, confitetur, Carolo stadii sententias sibi non displicuisse, Deoque grates persolvit, quod meliora a Luthero edoctus, feliciter ex istis erroribus se se emerferit. vid lit. Z. nec non Z. 4. Non possum, quin pluribus rem illam exemplis illustrem. In Academia Ienenfi A. c. l. o. c. XVI. quidam studiosi a Stiefelianis, & Methistis seducti, turbas moverunt, quos tamen, per Dei gratiam, Professorum pia diligentia ad meliorem mentem tandem reduxit. Auctor est Io. Gerhardus Loc. Theol. Tom. IX. de Consum. Sec. §. 75. qui & capita errorum enumerat. Credo, ex horum numero fuisse Io. Rauripium, cuius meminit Theobaldus, contra Anab. cap. IX. Finiam exemplo AVG. PFEIFFERI, viri de literis, quae ad orientem, & disciplinam sanctiorem, pertinent, immortaliter promeriti. Is iuvenis in urbe patria, Lauenburgum erat, Praeceptorem habuit Io. Cavenium, Chiliaftis & Weigelianis nimium quantum addictum. Hinc factum, ut tenerrimus Pfeifferi animus iisdem opinionibus imbueretur. Solent, experientia teste, tenaciter haerere, quae istis imbibimus annis. Id expertus est Pfeifferus, qui per plures annos liberare se ab erroribus istis non potuit. Sunt in manibus meis duae Epistolae, quarum unam A. c. l. o. c. LX. d. I. Octobr. alteram A. c. l. o. c. LXI. d. XV. Ian. ad Praeceptorem suum Witteberga dedit, ubi iam summos in Philosophia honores consecutus erat. Ambae concernunt Chiliaftismum. In prima de loco Danielis C. II. disquirat, quam, variis sub examen vocatis sententiis, ita obsignat: *Interea fateor me certissime ex b. l. victum & constrictum credere, Christum tale quid praeparasse suis, quale vero illud regnum sit, nolim determinari.* In altera iudicium suum exponit, de loco Apocalyptico, nec non Dan. VII. Adscribam quaedam verba, ex quibus clara, opinor, erit